

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 6 (Si
carcer haberet amicos...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 6 (Si
carcer haberet amicos...)*

1248

Si carcer haberet amicos hec current equis homines passibus cum Fortuna, profecto nos, quos leprosi casus sincopa de grege dominico segregavit, haberemus vestros animos in tribulacionibus compassivos. Qualiter hiis verumtamen condicionibus observatis erga nos olim providencia vestra se gesserit, quia vobis est cognitum et nobis incognitum non existit, tempore presenti silencio proterimus, licet pro nobis vix ullam aliquando feceritis mencionem. O dolor! O plus quam dolor, dum hii, quos in hac desolacione consolatione nobis succurrere sperabamus, ut eorum auxilium nostrum exilium evitaret, nostrum fere, iam fere aut modicum recordantur. Ubi nunc illa conversacio felix, ubi tanta spei fiducia, ubi retribucio devocionis immense, ubi tantorum virorum notitia longis quesita studiis, que dudum nos vobis domesticos faciebat. Certe mente credimus, o sapientes viri, quod, si predicta singula vobis in mentem venirent, in scrineo vestre memorie tenerentur, ut ea cum decenti sollicitudine pensaretis, de salute nostra curiosius ageretur, ut ergo peractam super hiis negligenciam hactenus per futuram diligentiam expietis, ad tractandam cum serenissimo principe redemptionem nostram iuxta seriem adinventam nobis per latorem presencium referendam vestre virtutis sompnium excitetis, benevolencie vestre super hoc industria non tepescat et efficacie vestre cura nostrum negotium, quod ocium diutinum non requirit, sollicite prosequatur et sic nobis ad presens affectionem, quam ad nos geritis, ostendatis, quod vobis mediantibus! Redimamur, quamquam vobis steriles olim fuerimus nec posset in nobis utilitas reperiri. Qui nisi prorsus vacui caritatis, quorum forent animi sic inmaniter inhumani, qui suos votos subditos et devotos in tali

articulo non iuvarent, cum presertim eis possibilitas non deesset, sicque, tam misericors opus solvere conpeditos? Scimus equidem nec hesitat inde cor nostrum, quod, si cause nostre meritum et meriti nostri causa promptum vobis exinde ministrabunt affectum, affectus habebit potenciam, potencia dabit operam et opera transiet in effectum.